


Christoph Matthaeus Pfaff


Christophori Matthaei Paffii, S. Theologiae Doct. Et Prof. Primarii, Academiae Tubing. Cancellarii, Ecclesiae Praepositi, Abbatis Laureacensis, Tractatus De Stercoranistis Medii Aevi Tam Latinis, Quam Graecis

Tubingae: Cotta, 1750

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn842177671>

Druck Freier  Zugang





289

a. B.
48. b. 8.

Ja-1092 (4.)

22

21

20


6

0

31

32

12



22

21

20


16

0

31

32

33



CHRISTOPHORI MATTHÆI
PFAFFII,

S. THEOLOGIÆ DOCT. ET PROF. PRIMARIÏ,
ACADEMIÆ TVBING. CANCELLARIÏ, ECCLESIAE
PRÆPOSITI, ABBATIS LAVREACENSIS,

TRACTATUS

DE

STERCORANISTIS
· MEDIÏ ÆVI

TAM LATINIS, QVAM GRÆCIS.



TVBINGÆ,
APVD JOHANN. GEORG. COTTA.
1750.

23

24

2

26

28

30

31

32

3

CHRISTOPHORUS MATTHEI
PRÆFATIO

2 THEOLOGICÆ DOCT. ET PRÆF. PRIMARIÆ
ACADEMIÆ SIVE CANCELLARIÆ REGIÆ
FRANCOB. ABBATIS LAVALENSIS


TRACTATUS

DE

STERCORANIS

MEDICINÆ

ET AMPLIUS QVAM GRÆCIS



AVD. JOHANN. F. B. COTTÆ
1720



PROLOGUS.



Xstat in Missâ oratio sacerdotis, Eucha-
 ristiâ sumtâ, ita precantis: *Corpus tuum,*
Domine, quod sumsi, & sanguis, quem
potavi, adhaereat visceribus meis. Quæso,
 num Corpus & sanguis Christi adhærere visceribus no-
 stris potest? Error hic fuit *Stercoranistarum*, quos voca-
 vere olim, & rigidiorum quidem, qui putârunt, Corpus
 quoque & sanguinem Christi *abire in secessum*, quæ sen-
 tentia proximè ad blasphemiam accedit. Rectius INNOCENTIVS III. de sacro altaris mysterio C. X. & XV. ubi
 ait, Corpus Christi in sacramento dentibus non atteri, quod
 tamen NICOLAUS II. BERENGARIUM coëgit profiteri (a),
 & præsentiam corporis Christi *corporalem* in usu saltem se
 exerere, & post illum *spiritualem* esse saltem, unde nec Cor-
 pus Christi digeratur vel in secessum abeat. Idem hic Pon-
 tificex fuit, qui in Concilio Lateranensi A. 1215. habito pri-
 mus transubstantiationem, quam & hoc in libro defendit,

A 2

sed

sed ita tamen, ut *paneitatem & vineitatem*, quæ famem & sitim pellant, restare ridiculè affereret, credi præcepit, Episcopis, qui aderant, inconsultis, atque cum mœrore animi abeuntibus (b). Non itaque oecumenicum hoc Concilium est, nec receptum prorsus ab Ecclesiâ Gallicanâ. Certe post hoc Concilium plures exstitere, qui panem post consecrationem restare & cum corpore Christi uniri atque adeò nostram sententiam statuerunt (c). Occasionem ista nobis dedere, de *Stercoranistis* mediî ævi in compendio scribendî.

(a) Dabimus hanc formulam infra §. 6. notâ (e).


(b) Vide saltem *LVD. ELLIES DV PIN*, Doctorem Sorbonicum diff. VII. de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ p. 572. 573.

(c) Vide *BASNAGII* histoire de l'Eglise f. 1622. 1623.

§. I.

Qui sine partium studio veterum Ecclesiæ scriptorum libros legerit, facilè largietur, eos in articulo de Eucharistiâ mox præsentiam Corporis & sanguinis Christi realem cum symbolis eucharisticis, mox horum in illa mutationem vel realem, vel metaphoricam, mox nudam corporis & sanguinis Christi figuram in Eucharistiâ statuisse (a). Conglomeravere antiquorum hanc in rem effata ex Pontificiis *BELLARMINVS* (b), *PERRONIVS* (c) *ARNALDVS* (d), ex Reformatis *MORNÆVS* (e), *ALBERTINVS* (f), *CLAVDIVS* (g), *LARROQVANVS* (h), *BASNAGIVS* (i). Alios (k) haud nominamus, sed id saltem adjungimus, veteres tam confusè subinde & obscurè mentem suam hîc enarrâsse, ut ne ipsi quidem satis intellexisse, quid statuerint, & mox in hanc, mox in illam partem inclinâsse vel planè fibimet ipsis contradixisse atque prorsus in hoc argumento fluctuâsse videantur.

(c) Vide



- (a) Vide nostram de consecratione veterum eucharisticâ dissertationem, quæ anecdotis Irenæi suffixa est, §. 18. p. 469. sqq. edit. Hagienfis.
- (b) De sacramento Eucharistiæ L. II. & III.
- (c) Recensuimus ejus scripta hûc facientia in dissert. anti-Rogerianâ p. 5. 6.
- (d) Vide eandem p. 6. sqq.
- (e) De sacrâ Eucharistiâ L. IV. C. 4. sqq.
- (f) De Eucharistiæ sacramento L. II. & III.
- (g) Vide diss. anti-Rogerianam p. 7. seqq.
- (h) Dans l'histoire de l'Eucharistie, quæ Amstelodami A. 1737. denuò prodit.
- (i) Vide illius histoire de l'Eglise L. XIII. sqq.
- (k) Merentur tamen & hîc præ aliis conferrî duo Scriptores Catholico-Romani, quorum unus est anonymus, alter PETRVS DE MARCA, Archiep. Parisiensis. Priori debetur traité de la transsubstantiation, posteriori traité du sacrement de l'Eucharistie. Uterque libellus habetur dans le recueil de divers traités touchant l'Eucharistie, qui prodit Roterdami 1713. 8. p. 297. sqq.

§. II.

Certè per Concilia nihil hanc in rem unquam definitum fuit ante seculum octavum. Constat, habitum A. 754. fuisse Concilium ab Iconomachis, ubi determinatum fuit, Eucharistiam esse saltem imaginem corporis Christi (a). Huic opposuere Iconoduli Concilium Nicænum II. A. 787. quid ipsum corpus Christi in Eucharistiâ adesse statuit (b). In occidente CAROLVS M. negavit mox, corpus & sanguinem Christi saltem in imagine in Eucharistiâ extare (c), mox dixit, *Christum panem fregisse & calicem dedisse discipulis in figuram Corporis & sanguinis sui* (d). Tempore LVDOVICI PII vixere AMALARIVS (e) & FLORVS (f),

A 3

qu

qui ambo, licet hic contra illum scriberet, Figuristæ fuere. Postea PASCHASIVS RADBERTVS, Abbas Corbejenfis (g) librum de corpore & sanguine Domini (h) scripsit, primusque (i) transsubstantiationem (k) pressius docuit, ita tamen, ut nihilominus & subinde ea diceret; quæ figuræ favent (l) & à mente Ecclesiæ Romanæ modernâ abluunt (m). Libellum hunc à se revisum cum ad CAROLVM CALVVM Imp. mitteret (n), hic portentoso isto dogmate, cui & isto tempore RABANVS MAVRVS, Archiep. Moguntinus, (o) HERIBALDVS Autissiodorensis Episcopus (p) alique (q) contradicebant, percussus in mandatis dedit RATRAMNO, qui & aliàs BERTRAMVS dicitur, Monacho itidem Corbejenfi (r) & Jo. SCOTO (s), qui magnâ eruditionis famâ tum temporis florebat & queis eapropter plurimum favebat Imperator, ut suam de Eucharistiâ mentem scriptis exponerent, quod & uterque fecit. Probabile est, PASCHASIVM RADBERTVM dignitatem suam Abbatialem & hanc ob causam amisisse (t).

(a) Græca verba sunt τύπος, ἕκαστον.

(b) Vide act. 6. Concil. T. VIII. col. 1097. sqq. ed. Venetæ.

(c) L. II. de imaginibus contra Synodum Nicænam C. 27.

(d) In ep. de ratione septuagesimæ & sexagesimæ & quinquagesimæ ad Albinum Abbatem. Vide hujus opera col. 1150. ex editione ANDRÆ QVERCETANI & collectionem Hittorpiam de divinis officiis f. 100. a.

(e) Habentur in collectione Hittorpianâ modò citatâ f. 101. sqq. AMALARIJ FORTVNATI, Episcopi Treverensis ad LVDovicvm PIVM Imp. de Ecclesiastico officio libelli quatuor, queis f. 263. adjungitur liber de ordine antiphonarii. Convenit hodie inter eruditos, libellos hosce ab AMALARIO Trevirensi, cui HETTI successit, scriptos non esse. Jam enim Metensem AMALARIVM innuere videtur Prologus Antiphonarii, FLO-

RVSQVE loco mox citando ipsum apud HETTIVM quoque
 accusavit, & Præceptorem Lugdunensem nuncupat. Confer
 MASENII notas ad BROWERI annales Trevirenses T. I. f. 625.
 Vixit itaque LVDOVICI PII & HETTII Arch. Moguntini
 tempore AMALARIUS noster, idem, qui varias legationes
 Constantinopoli & Romæ obiit & CAROLO M. itemque LV-
 DOVICO PIO & CAROLO CALVO percharus fuit. Ait
 autem ille L. III. de officio ecclesiastico C. 26. *Oblata & calix
 dominicum corpus signant. C. 35. statuit, corpus Christi triforme
 esse, primum, quod assumptum sit ex Mariâ Virgine, alterum, quod
 ambulet in terrâ, tertium, quod jaceat in sepulchris.* Verba hæc
 c. 22. dist. 2. de consecratione malè tribuuntur SERGIO Papæ.
*Per particulam oblatæ immixtæ in calicem ostendi Christi corpus, quod
 quod jam resurrexerit à mortuis, per comestam à Sacerdote vel à po-
 pulo ambulans adhuc super terram, per relictam in altari jacens in
 sepulchris.* Ingenue fateor, me hæc non capere. L. IV. C. 47.
 scribit: *panis extensus super altare corpus Divini monstrat ex-
 tensum in cruce, quod nos manducamus. Vinum & aqua in calice
 monstrant sacramenta, quæ de latere Domini in cruce fluxerunt, id
 est, sanguinem & aquam, quibus nos potat Dominus noster.* Ita
 porrò idem ad RANTGARIVM Episcopum: *Sicut ergò secun-
 dum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus est, sa-
 cramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum
 fidei fides est.* Vide spicilegium DACHERII T. III. novæ edi-
 tionis, quam Parisiis A. 1723. dedit LVD. FRANC. JOSE-
 PHVS DE LA BARRE f. 331. a. Sed nec ista quidem intelligo.
 Habentur & AMALARIJ Eclogæ in ordinem Romanum, quas
 post BALVZIVM in app. ad Capitularia Regum Franciæ T. II.
 Musæi Italici p. 549. sqq. dedit MABILLONIVS. Hic §. 19.
 clariùs mentem suam effert & dicit, *in corporis & sanguinis Chri-
 sti typo hodiè Ecclesiam panem & vinum offerre in consideratione
 Corporis & sanguinis Domini.* Figuristæ hæc verba sunt.
 (f) FLORVS Magister, Diaconus Lugdunensis in opuscula de expo-
 sitione Missæ, cujus plenior editionem dedere MARTENE
 & DVRANDVS T. IX. Collect. vet. Script. col. 580. sqq. va-
 ria

23

24

2

26

28

30

31

32

3

ria habet ex quibus parere possit, ipsum Figuristam fuisse, quæ & notavere ALBERTINVS de sacr. Euch. f. 935. 936. & BASNAGIVS dans l'hist. de l'Eglise f. 937. Ita & homiliario Ecclesiæ Lugdunensis, cujus autor FLORVS à MABILLONIO creditur, distinguitur Corpus Christi in cœlis à corpore Christi eucharistico, cujus figura sit panis. Vide MABILLONII præf. ad sec. IV. Bened. P. 2. §. 5. n. 7. Idem &, licet AMALARIVM in Concilio Carisiacensi & Theodonis - Villano accusasset, quòd statueret corpus Christi triforme & tripartitum, atque in medio reliquisset, num abeat in secessum, nec ne, tamen in opusculo adversum illum, cujus fragmentum jam dederant MORNÆVS de sacrâ Eucharistiâ L. IV. C. 8. p. 1627. 1628. ex cod. MS. RANCHINI, & BLONDELLVS dans les éclaircissemens sur l'Eucharistie ch. 18. totum verò è MSS. codicibus Pelteriano & Harlæano exhibuere iidem MARTENE & DVRANDVS l. c. col. 641. sqq. à MABILLONIO communicatum, ait f. 647. *panem corpus Christi esse saltem virtute & potentiâ spirituali, & per consecrationem accedere divina virtutis effusionem, efficique panem spiritualiter corpus Christi, quod fidei saltem obtutu videamus & mente credamus. Mentis ergò esse cibum, non ventris, unde nec inquinari possit face corporeâ.*

- (g) PASCHASII vitam dedit SIRMONDVS præfixitque operibus ipsius Parisiis f. 1618. cufis, dedit & MENARDVS, translata utramque in Acta SS. Antwerp. d. 26. Apr. pleniorè verò dedit MABILLONIVS in actis SS. Ord. Bened. sec. IV. P. 2. f. 126. sqq. Addi velim BASNAGIVM dans l'Histoire de l'Eglise f. 909. sqq.
- (h) Postremam editionem eamque accuratiorè curavere MARTENE & DVRANDVS l. c. col. 378. sqq.
- (i) Ita cum aliis præcipuè BELLARMINVS de script. eccles. & SIRMONDVS in vitâ RADBERTI.
- (k) Nec tamen transubstantiationis vocè utitur RADBERTVS, quæ demùm seculo XII. nata est. Vide COSINI, Episc. Dunelmensis Angli historiam transubstantiationis Papalis C. 7. §. 17. p. 146.

(l) Certè

- (l) Certè enim C. IV. & figuram statuit, & veram Christi carnem verumque sanguinem mystice præsentem saltem fidei nostræ. C. V. dicit, nos carnem Christi & sanguinem in mysterio sumere & nihil carnale in eo sapere, imò spiritale totum spiritualiter intelligere, & carnem Christi & sanguinem spiritualiter sumere. C. VII. ait, triplex esse corpus Christi, Ecclesiam, corpus Eucharistiæ mysticum & corpus de Mariâ natum, licet aliàs ajat, corpus Christi in Eucharistiâ esse idem, quòd è Mariâ natum fit. Denique C. X. addit, panem fieri corpus Christi, uti nos corpus Christi in baptismo efficiamur.
- (m) Ita C. VI. VIII. negat PASCHASIVS, indignos verum corpus Christi accipere. C. XX. ait, in calice nihil esse, quàm sanguinem Christi, in pane nihil, quàm corpus Christi. Id quod concomitantiam destruit. Ibidem dicit, corpus & sanguinem Christi in nostrum converti corpus & sanguinem, quod longè absurdissimum est. Taceo alia ab ALBERTINO notata f. 922.
- (n) Habetur epistola dedicatoria ad CAROLVM CALVVM in MABILLONII actis SS. Ord. Bened. sec. IV. P. 2. f. 126. & in laudatâ Collectione MARTENIANA col. 374. sqq. ubi sub finem ita ad Imperatorem RADBERTVS:
- Aurea mala decem misi, cras altera mittam.*
- Sed altera non misit, Imperatore haud favente. Versus iste VIRGILII est Ecl. 3. n. 71.
- (o) Hunc contra PASCHASIVM scripsisse autor est anonymus, qui vocatur CELLOTIANVS, de quo mox.
- (p) HERIBALDI nîl habetur amplius, sed & hunc PASCHASIO se opposuisse idem anonymus memorat.
- (q) Pertinent hùc FREDVGGARDVS, ita enim scribere jubet MABILLONIVS, uti apparet ex epistolâ PASCHASII ad ipsum datâ, quæ exstat, itemque duo anonymi, quos è Codice Gemblacensi dedit MABILLONIVS in actis SS. Ord. Bened. sec. IV. P. 2. f. 601. sqq. edit. Veneræ. Non existimo, rem acutè tetigisse MABILLONIVM, quùm existimavit, prioris anonymi scriptum, quod titulum fert: *dicta cujusdam sapientis de corpore*

B

S

Et sanguine Domini esse epistolam RABANI ad EGILONEM
 vel EGILVM, Abbatem Prumiensem, quam laudat Anonymus
 CELLOTIANVS, citat RABANVS ipse in ep. ad HERIBALDVM,
 deperditam hodiè, ipso MABILLONIO subdubitante in Anna-
 libus Benedict. T. III. f. 27. Vide saltem CAVEVM in RABA-
 NO & BASNAGIVM dans l'histoire de l'Eglise f. 923. 924.
 Maxime verò hùc spectat anonymus de corpore & sanguine
 Domini, quem primum LVD. CELLOTIVS, Jesuita Parisiis
 ad calcem historix Godeschalci A. 1655. f. edidit, & quem
 HERIGERVM Abbatem fert codex Gemblacensis. Hinc pu-
 tavit MABILLONIVS, anonymum hunc esse HERIGERVM,
 Abbatem Laubiensem, quem verò egregiè refutavit BASNA-
 GIVS l. c. f. 941. Etsi enim & HERIGERVS Laubiensis contra
 PASCHASIVM dicta SS. Patrum congesserit, uti SIGEBER-
 TVS Gemblacensis de script. Eccl. c. 137. & anonymus de gestis
 Abbatum Laubiensium apud DACHERIVM in spicil. T. II. f. 744.
 novæ edit. referunt, tamen constat jam è cod. Gottwicensi,
 anonymum hunc esse GERBERTVM, qui dein in Pontificem
 Romanum sub titulo SYLVESTRI II. evasit. Unde & HIERO-
 NYMVS & BERNHARDVS PEZII, Monachi Benedictini Mel-
 licenses libellum hunc genuino autori suo restituerunt & recu-
 sum dederunt recentissimè in Thesauro anecdotorum novissi-
 mo T. I. P. 2. f. 133. sqq. Ipse quoque RADBERTVS tùm
 in opusculo de corpore & sanguine Domini, tùm in comm. in
 Mat h XII. XXVI subinnuit, fuisse suo tempore, qui aliter
 sentirent heic, ac ipse

(r) Quari heic videas, num RATRAMNVS autor hujus libri sit,
 & non potius JO. SCOTVS, quæ sententia est PETRI DE MAR-
 CA & JO. PARISII, falsa sanè, num & Figuristis accensendus
 veniat, vel potius Transsubstantiator fuerit. Sunt, qui Figu-
 ristam statuunt, Reformati ad unum omnes, ex Pontificiis quàm
 plurimi. Certè enim in indicibus librorum prohibitorum Ro-
 manis proscriptus est liber, Theologis tamen Duacensibus po-
 stea in indice librorum prohibitorum Belgico ejus causam susci-
 pientibus. Sed & Figuristam statuerunt IVRRIANVS, POS-

SEVE



SEVINVS, BELLARMINVS, CELLOTIVS, alii, ex quibus
eminet Jo. HARDVINVS in diff. de sacramento altaris, quæ
& in ipsius operibus selectis exstat. Transubstantiatorem esse
finxere PERRONIVS, LABBEVS, MAUGVINVS, ARNAL-
DVS, MABILLONIVS, NATALIS ALEXANDER & vel ma-
ximè JAC. BOILEAV, Theologus Sorbonicus in notis ad
ipsius libellum, quem denuò Parisiis A. 1712. edidit, scriptis.
Id certum, quòd contra PASCHASIVM negarit, corpus Christi
Eucharisticum idem esse cum corpore è Mariâ nato, quòd &
figuram ad nauseam usque repetat, etsi & mutationem subinde
statuere videatur & confusis per totum libellum ideis indulgeat,
uti & PASCHASIVS. Plura de eo diximus in diff. adver-
sus ROGERIVM scriptâ.

- (s) Hujus liber periit, in Concilio Vercellensi contra BERENGA-
RIVM A. 1050. & Romano A. 1059. damnatus & combustus.
(t) Confer elogium RADBERTI, quod sec. IV. Act. SS. Ord. Be-
ned. P. 2. inseruit MABILLONIVS, f. 130. edit. Veneræ &
BASNAGII histoire de l'Eglise f. 922.

§. III.

Præmissis hisce jam ad ipsos *Stercoranistas*, qui trans-
substantiationi hoc maximè opposuere, quòd Eucharistia in
secessum abeat, id quòd de corpore Christi sine blasphe-
miâ dici non possit, adeoque nudam corporis Christi figu-
ram in Eucharistiâ statuerunt, via patet. Antequam autem
de illis agamus, placet, illos dare autores, qui plenius de
illis scripsere. Refert EDMVNDVS MARTENE, Mona-
chus Benedictinus Parisiensis è Congr. S. Mauri, possidere se
dissertationem de illis à JAC. de SAINTE-BEVVE, Docto-
re Sorbonico scriptam, nondum editam (a). Ita & de Ster-
coranistis inter PERRONIVM, ALBERTINVM, alios, item-
que inter ARNALDVM & CLAVDIVM (b) disputatum
fuit. Latius de illis egere MABILLONIVS (c) HOPKINS,

B 2

Cano-

Canonicus Vigorniensis Anglus (d) & BASNAGIVS (e).
Dedimus & de iis nos aliqua (f).

- (a) In collect. vet. Script. T. IX. col. 448. notâ (a).
 (b) Horum scripta amœbæa in diff. anti-Rogeriali recensuimus.
 Velim conferri hîc maximè la reponse au livre de Mr. Ar-
 nould intitule *la perpetuité de la foy* L. VI. C. 11. p. 879. sqq.
 (c) In præf. ad Acta SS. Ord. Bened. sec. IV. P. 2. § 5. Separatim
 impressæ hæ præfationes fuere Tridenti A. 1724. ubi vide
 p. 322. sqq.
 (d) In diff. 1. ad Ratramnum. Versio Gallica prodiit Rotero-
 dami A. 1717. 12.
 (e) Vide l'histoire de l'Eglise f. 926. sqq. ubi peculiare caput *Ster-
 coranistis* consecravit.
 (f) tum in diff. anti Rogeriali p. 30. § 6. tum in instit. hist. ec-
 clæs. p. 367. 387. edit. secundæ.

§. IV.

Nunc ad rem. Diximus, quinam olim *Stercoranistæ*
 fuerint nuncupati. Certè fuere jam ævo PASCHASII RAD-
 BERTI, qui hanc objectionem contra transubstantiationem
 fecere. Alludere hûc videtur ipse ille, quum C. XX. post-
 quàm dixerat, sacramentum à jejunis accipi debere, ita ha-
 bet: *Frivolum ergò est, sicut in apocrypho libro (a) legitur,
 in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur, in di-
 gestione alterius cibi.* Damnat & eos, qui dicebant tum,
 Eucharistiam in secessum abire, anonymus, quem CELLO-
 TIUS edidit (b). Videas, hanc sententiam tribui AMALA-
 RIO (c) HERIBALDO (d) RABANO (e). Primus hanc in
 rem determinavit nil, sed tamen existimavit, possibile esse,
 ut Eucharistia in secessum habeat. Verba infra damus (f).
 Secundus sententiam RABANI saltem expetiit in epistolâ,
 quam ad ipsum scripsit, & quæ non ampliùs exstat (g).
 Tertius

Tertius ita statuisse fertur ab anonymo CELLOTII, cujus verba in notâ subjungimus (h). Ast quid, si hisce Concilium Tolertanum A. 693. habitum jam præiverit? (i).

(a) Crediderim, RADBERTVM digitum intendere ad epist. CLEMENTIS I. secundam, quæ tum in Jure canonico c. 23. dist. 2. de consecratione, tum Conc. T. I. f. 99. edit. Ven. tum in BLONDELLI Pseudo - Isidoro p. 61. alibique exstat, ubi: *Qui autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent, sanctæ portioni commisceri cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur.* Jam verò confictam hanc ab impostore epistolam fuisse constat.

(b) Ita enim ille statim sub initium, *de mysterio Corporis & sanguinis Domini dicere quosdam, idem, quod sumitur de altari, esse illud, quod est ex Virgine natum, alios id negare & dicere, aliud esse, scilicet cum pane divinitatem Christi uniri, adeoque illum sic corpus ejusdem evadere, quosdam etiam diabolicâ inspiratione blasphemare, illud secessui obnoxium fore. Et hos quidem, qui dixerint, secessui obnoxium, quod nunquam sit auditum, contrarium mox demonstrabimus, esse HERIBALDVM, Episcopum Autissiodorensem, qui turpiter proposuerit, & RABANVM Moguntinum, qui turpius assumerit, turpissime verò concluderit.* Addit tamen idem, RADBERTVM malè statuisse, quòd corpus Christi Eucharisticum sit idem, quod ex Mariâ natum sit, errare hîc RADBERTVM, contra quem satis argumentati sint RABANVS in epistolâ ad EGILONEM Abbatem Prumiensem, & RATRAMNVS quidam, misellus hic anonymus est, qui RATRAMNVVM, hominem sec. IX. celeberrimum non melius novit, in libro composito ad KAROLVM Regem, dicentes, esse aliam.

(c) Vide, quæ de AMALARIO supra p. 6. sqq. diximus.

(d) Vide supra p. 6. 9.

(e) Vide supra p. 6. 9.

(f) Ita enim ille in epistolâ ad GVNTARDVM, qui ipsum reprehenderat, quòd post sumtam Eucharistiam illicò exspueret

B 3

adeo.

23

24

2

26

28

30

31

32

3

adeoque corpus Christi simul cum sputo projiceret. Respondit AMALARIVS, difficile sibi esse, diu abstinere à sputo, additque: *Ita verò sumtum corpus Domini bonâ intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter assumatur in cœlum, an reserve- tur in corpore nostro in diem sepulture, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Do- mino: omne, quod intrat in os, in ventrem vadit & in seces- sum emittitur* Matth. XV. 17. *Hoc solum cavendum est, ne corde Judæ sumam illud, & ne contentui habeatur, sed discerna- tur saluberrimè à cæteris cibis. Vide spicilegium DACHERII T. III. f. 332. b. novæ editionis, quam Parisiis A. 1723. dedit DE LA BARRE, itemque T. I. f. 149. ubi è Codice Gembla- censi datur responsio cujusdam de corpore & sanguine Domini, quem AMALARIVM esse rectè dixit BALVZIVS. Patet hinc, AMA- LARIVM saltem dicere, quòd non sit curiosè disputandum, quid corpori Christi post sumtionem accidat.*

(g) Vide, quæ notâ (b) ex anonymo Cellotiano dedimus.

(h) Ita enim ille in epistolâ ad HERIBALDVM, quæ exstat in ipsius pœnitentiâ C. 33. *Quod autem interrogâstis, utrum Eucharis- tia, postquàm consumitur & in secessum emittitur more aliorum ci- borum, iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat, an- tequàm in altari consecraretur, additur hic in margine à librario: ista sententia contraria est sententiis Clementis Papæ & aliorum mul- torum sanctorum Patrum, qui dicunt, corpus Domini non cum cete- ris communibus cibis per aqualiculos in secessum mitti, hæctenus Scholiastes, superflua est ejusmodi questio, cum ipse Salvator di- xerit in Evangelio: Omne, quod intrat in os, in ventrem va- dit, & in secessum emittitur. Sacramentum corporis & sanguinis ex rebus visibilibus & corporalibus conficitur, sed invisibilem tam corporis, quàm animæ efficit sanctificationem & salutem. Quæ enim est ratio, ut hoc, quod stomacho digeritur & in secessum emittitur, iterum in statum pristinum redeat, cum nullus hoc unquam fieri asse- ruerit. Nam quidam, præcipuus ex his est RADBERTVS, nu- per de ipso sacramento corporis & sanguinis Domini non ritè sentien- tes dixerunt, hoc ipsum corpus & sanguinem Domini, quod de Ma-
ria*

ritā natum est, & in quo ipse Dominus passus est in cruce, & resurrexit de sepulchro idem esse, quod sumitur de altari. Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de corpore ipso, quid verè credendum sit, aperuimus. Vide BASNAGII thesaurum monumentorum ecclesiasticorum T. II. P. 2. f. 311. 312. BALVZIVM ad REGINONIS calcem & MABILLONII Acta SS. Ord. Bened. sec. IV. P. 2. f. 606. 607. itemque Analecta f. 17. edit. novæ Parisiensis. Miror, MABILLONIVM voluisse RABANVM à Stercoranismo liberare in præfat. ad Acta SS. Ord. sec. IV. P. 2. f. XXV. sqq. Refutatus eapropter fuit a BASNAGIO l. c. f. 286. sqq. ubi habetur observatio de RABANO ejusque scriptis §. 3. sqq. Jam enim & RABANVS de instit. Clericorum L. I. C. 31. ita: *Maluit Dominus, corporis & sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi & in PASTVM eorum redigi, ut per visibile opus invisibilis ostenderetur effectus.* Ita & WILHELMVS Malmesburiensis in abbreviatione Amalarii de Ecclesiasticis officiis ad ROBERTVM RABANVM reprehendit, quòd in libris de officiis ecclesiasticis dicat, *sacramenta altaris proficere ad saginam corporis ac per hoc corruptioni vel morbo vel atate vel secessu vel postremo morte obnoxia, quæ de Domini corpore dicere, credere, scribere, quanti sit periculi, vides.* Nondum edita hæc abbreviatio est. Sed ejus præfationem ex Codice Lambethano dedit ALLIXIVS ad calcem præfationis historicæ ad Joannem Parisiensem de dogmate transubstantiationis p. 82. 83. Si alibi alia dixerit RABANVS, quæ MABILLONIVS refert, sibi ipsi haud constitit.

(i) Can. 6 ubi: *non esse consecrandum grandem panem, sed modicam oblatam, ut ventrem illius, qui sumserit, gravis farciminis onere non premat.* Vide Conciliorum edit. Ven. T. VIII. col. 63.

§. V.

Mirum est somnium, quod somniavit PERRONIVS (a), MAUGVINVS (b), CELLOTIVS (c), alii, exhiberunt LE FAYCHEVR (d) ALBERTINVS (e) HOPKINS (f), &
nos

23

24

2

26

28

30

31

32

3

nos quoque (g), RATRAMNUM, imò & ipsum RADBERTUM libros suos nonnisi *Stercoranistis* opposuisse. Dixit utique verbulum hanc in rem RADBERTVS (h). Sed ne vola quidem nec vestigium *Stercoranismi* refutati in libello RATRAMNI apparet, uti egregie JAC. BOILEAV, Doctor Sorbonicus (i). Quin potius RATRAMNVS ipse *Stercoranista* fuit (k).

- (a) L. 1. de euchar. aut. 39.
- (b) In historicâ & chronicâ dissertazione vindiciis gratiæ & prædestinationis insertâ p. 134. 135.
- (c) ad anonymum, quem edidit.
- (d) L. IX. de la Cène du Seigneur.
- (e) De sacramento Euchar. L. III. f. 929.
- (f) In diff. 1. præliminari ad RATRAMNUM.
- (g) In diff. anti - Rogerianâ p. 30.
- (h) Vide supra p. 12. 13.
- (i) Vide præfat. ad RATRAMNUM p. XXVII. XXVIII.
- (k) Dicit enim, Eucharistiam pascere corpus §. 49. 94. esse corruptibilem §. 59. 62. 76. esse escam corpoream §. 69. delectare fauces §. 58. dente premi, fauce glutiri, receptaculo ventris recipi §. 52.

§. VI.

Patet ex dictis, licet jam seculo IX. fuerint, Figuristæ nempe, qui statuerunt, Eucharistiam in secessum abire, tamen nondum natum fuisse *Stercoranistarum* nomen, quod originem suam debet seculo XI. debet. Convitium hoc credo impactum primùm BERENGARIO fuisse. Et si enim GVITMVNDVS, qui contra ipsum scripsit (a), hoc vocabulo non utatur, tamen ALGERVS (b) isto utitur, & DVRANDVS, Abbas Troarnensis (c), quos THOMAS Waldensis secutus est, qui & *Panitas* finxit (d). Sed quid ?
fi

si NICOLAUS II. Pontifex Romanus, in abjuratiōis formulā, jussu ipsius ab HUMBERTO Card. conceprā, quam BERENGARIO in Concilio Romano A. 1059. præscripsit, jurare illum coëgit, corpus ipsum Christi in Eucharistiā *dentibus atteri* (e), quod si ita est, corruptibile est, & cætera, n̄ intercedat miraculum, sequuntur. Hic *Stercoranismus* longè periculosior est altero, quem BERENGARIUS statuit. Statuit enim hic, panem Eucharisticum in secessum abire, non corpus Christi, quod blasphemum foret statuere. BERENGARII sententiam adoptavit postea WIKLEFVS (f). Projici tamen in cloacam posse corpus Christi, statuerunt Pontifices Romani GREGORIUS IX. & CLEMENS VI. (g), ex Scholasticis maximè DOMINICVS A SOTO (h), ex Jesuitis VASQUEZ (i), quæ ferè succinunt BELLARMINVS (k) & PERRONIUS (l), Cardinales.

(a) Archiep. hic Averfanus L. II. de veritate Eucharistiæ ROGERIVM introducit pro BERENGARIO pugnantem & opponentem, *inconueniens esse, ut corpus Domini in secessum mittatur, omne autem, quod intret in os, uti Salvator ajat, in ventrem vadere & in secessum emitti. Respondet GVITMVNDVS corpus Domini nullo modo in secessum emitti. Non enim omnia, quæ in os intrant, in secessum ire. Sententiam illam Dominicam nonnisi de cibis, qui ad sustentandam hujus mortalis corporis vitam ingerantur, competenter intelligi posse. Addit: Nemo est enim, qui de eo, quod Salvator post resurrectionem suam comedit, sicut nec de Angelis, qui apud Abraham comederunt, id vel audeat suspicari.*

(b) Ita verò Scholasticus hic Leodiensis L. II. de sacramentis corporis & sanguinis Domini C. I. *Ex hac ipsa visibili & corporali comestione nascitur hæresis fœdissima Stercoranistarum. Dicunt enim, tantum sacramentum, sicut corporali comestioni, sic & secessui*

C

secessui

secessui esse obnoxium. Volunt autem hæc adstruere cùm multis argumentis, tum ipsius Christi testimonio, ita in Evangelio dicentis: Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum emittitur, cùm constet, hoc eum dixisse non de spiritali cibo, sed de communi & carnali. Addit plura in sequentibus, & Græcos quoque Stercoranissimi accusat, quia dicant, participatione corporis & sanguinis Christi solvi ecclesiastica jejunia usque ad crapulam & ebrietatem ventrisque distensionem, putantes, cœlestem escam velut terrenam indifferenter accipi & in sordidum ventris secessum emitti.

- (c) De corpore & sanguine Domini P. 1.
- (d) In doctrinali antiquitatum Ecclesiæ Catholicæ adversus Wiclefitas & Hussitas T. II. C. 19. 26. 52. 90. ubi & Stercoranistas Heribaldianos nuncupat.
- (e) Exhibent hanc formulam ALGERVS l. c. L. I. C. 19. & LANFRANCVS, Archiep. Cantuar. in libro de Eucharistiæ sacramento adv. BERENGARIUM haud longè ab initio. Ita verò illa habet: Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis cognoscens veram & Apostolicam fidem anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam, de quâ hætenus infamatus sum, quæ adstruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò sacramentum & non verum corpus & sanguinem Domini nostri JESU Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de sacramentis Dominica mensæ eam fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus & hæc sancta Synodus auctoritate Evangelicâ & Apostolicâ tenendam tradidit mihique formavit, scilicet, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum Corpus & sanguinem Domini nostri JESU Christi esse, & sensualiter non solum sacramento sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam & ὁμοῦσιον Trinitatem & per hæc sacre-

rosancta Christi Evangelia. Transit deinceps hæc formula in Jus Canonicum & habetur c. 42. dist. 2. de consecr. Observamus hîc 1.) in secundâ abjuratione Berengarianâ, quæ facta fuit in Concilio Romano sub Gregorio VII. A. 1079. hæc posteriora non haberi, quæ & ex Scholasticis hi & illi sunt, qui repudient, repudiavit & ante hos INNOCENTIUS III. Vide supra p. 3. Certè enim 2.) formula hæc nec transsubstantiationi favet. Supponit quippe, post consecrationem panem & vinum remanere. Ficulneum enim est 3.) per panem & vinum, intelligere saltem ipsorum accidentia, quod recentiorum maxime effugium est. Accidentia non possunt frangi & atteri sine subjecto. 4.) Statuerat contra Berengarius, panem & vinum, non saltem ipsorum accidentia, post consecrationem frangi & dentibus atteri. Jam verò abjunctio huic sententiæ Berengarii opposita esse debet, & illa ex hæc quoad oppositionem exponi. Et quis 5.) dixerit, accidentia panis & vini post consecrationem esse corpus Christi? Nosse qui plura hanc in rem voluerit, adeat ALBERTINUM de sacr. Euch. L. III. f. 950. sqq. & beati WEISMANNI diss. de hæc formulâ BOSSVETO & GRAVESONIO A. 1742. oppositam.

(f) uti THOMAS Waldensis refert T. II. c. 61.

(g) Damnârunt enim ambo has propositiones: *Si hostia consecrata projiciatur in cloacam, desinere ibi corpus Christi & redire substantiam panis, & si hostia consecrata sumatur & dentibus teratur, Christum ad cælum rapi, & in ventrem hominis non trajici.* Vide NIC. EYMERICI directorium Inquisitorum P. 1. n. 15. & P. 2. qu. 10. itemque DALLÆVM de cultibus Latinorum religiosiss L. IX. C. 22. p. 1270. ALLIXIVM in præf. hist. de dogmate transsubstantiationis p. 31. 32. CALIXTVM in exerc. de transsubst. §. 33. & BASNAGIVM dans l'histoire de l'Eglise f. 1624. Adde THOMAM Aqu. in 4. dist. 13. qu. 5.

(h) in 4. dist. 12. qu. 1. art. 3. ubi ait, si contingat, evomi sacramentum, vomitum asservandum esse tanquam verum sacramentum, & si ob aliquem morbum descenderet, consequenter & ipsum corpus

23

24

2

26

28

30

31

32

3

corpus Christi descendere & emitti. Pudor enim ait, non debet esse causa negandi veritatem Ita & PALVDANVS in 4. dist. 9. qu. 1. art. 2. apud ALBERTINVM f. 256. 257.

- (i) qui putat, hanc doctrinam ad fidem pertinere & contrariam per Gregorium IX. damnatam esse disp. 195. in 3. C. 5.
- (k) de Euchar. L. III. C. 10.
- (l) de Euchar. L. III. C. 20.

§. VII.

Non existimamus cæteroquin, opus habuisse CLAVDIVM, Theologum Reformatum (a), statuere, non dari duo *Stercoranistarum* genera, uti putavit ARNALDVS. Qui panem in secessum abire dicit vel Figurista, vel nostræ addictus fidei, distinguendus utique fuerit à Transsubstantiatore, qui vel de accidentibus vel de ipso Christi corpore hoc prædicat.

- (a) Vide la reponse au livre de Mr. Arnauld intitulé la perpetuité de la foi de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie defendué L. VI. Ch. 11. p. 881. 882.

§. VIII.

Sequitur, ut de *Stercoranistis* Græcis quædam dicamus. *Stercoranissimum* NICETÆ Pectorato, Monacho Studitæ objecit HVMBERTVS Cardinalis, Episcopus sylvæ candidæ (a), quod statueret, per sumtionem Eucharistiæ *jejunium solvi* (b), quæ communis Græcorum, imò & Latinorum veterum mens est (c), quicquid in contrarium hîc dixerint GVITMVNDVS (d) & ALGERVS (e), qui itidem Græcis *Stercoranissimum* eapropter objicit (f). Atquî verò, qui statuit, Eucharistiâ jejunium solvi, quia nutriat (g), non tamen eapropter mox statuit, illam in secessum abire

abire (h). Certè enim fuere ex antiquis IRENÆVS (i) & alii (k), qui statuerunt, abire quidem Eucharistiam in nutrimentum corporis, sed non in faces, totumque in corpus nostrum verti, ut immortalitatis olim post resurrectionem fiat capax. Fuit tamen & ORIGENES olim, qui scripsit, Eucharistiam *in secessum abire* (l), negantibus id CYRILLO Hierof. (m) & JO. CHRYSOSTOMO, vel, si mavis, JO. Hierof. (n)

23

24

2

26

28

30

31

32

3

(a) In contradictione in libellum NICETÆ contra Latinos, ubi: *O perfide Stercoranista, qui putas, fidei participatione corporis & sanguinis Domini dissolvi jejunia, omnino credens, cœlestem escam velut terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum dimitti &c.* Vide thesaurum monum. Eccl. à BASNAGIO editum T. III. P. 1. f. 319.

(b) Vide eundem l. c. f. 312.

(c) Confer DALLÆVM de cultibus Latinorum religiosi L. III. C. II. p. 343. sqq. Probat id non saltem ex eo, quòd Græci veteres jejunalibus diebus non nisi vespere vel horâ nonâ, esurialibus verò manè ad horam tertiam Eucharistiam celebrârint, sed &, quòd TERTVLLIANVS de oratione C. 14. scribit, *stationem sive semijejunium solvi accepto corpore dominico.* Ita & AVGVSTINVS ep. 118. *Mane offertur Eucharistia propter prandentes, ad vesperam propter jejunantes.* Ita & Abessini, uti refert ANT. FERRANDVS L. I. de Abess. reb. c. 35. *In quadragesimâ, donec occidat sol, nihil prorsus degustant. Paulo ante occasum rem divinam faciunt sacerdotes, non prius, quia credunt, ipso Eucharistico cibo ac potu jejunium frangi.* Vide JO. BAPT. THYRSVM in tr. Gall. de superstitionibus circa sacramenta T. II. P. 2. C. 7. p. 291.

(d) l. c. L. II. C. 1.

(e) de sacramentis corporis & sanguinis Dominici L. II. C. 1.

C 3

(f) His

(f) His verbis: *Non sunt igitur observanda Græcorum hæreticorum, qui meritò Stercoranistæ vocantur, deliramenta, qui dicunt, participatione corporis & sanguinis Christi solvi ecclesiastica jejunia usque ad crapulam & ebrietatem ventrisque distensionem, putantes, cœlestem escam velut terrenam indifferenter accipi & in sordidum ventris secessum emitti. At verò posterius Græcis affinxit post HUMBERTVM, quem exscripsit, ALGERVS.*

(g) Ita enim multi ex veteribus, e. g. JUSTINVS Martyr, apol. 2. ubi Eucharistiam vocat *alimoniam*; unde sanguis & caro nostram per mutationem alantur. AVGVSTINVS serm. 9. de diversis C. 7. *Eucharistia panis noster quotidianus est. Sed sic accipiamus illum, ut non solum ventre, sed & mente reficiamur.* Ita & ex recentioribus THOMAS Aquinas in summâ Theologiæ P. 3. qu. 77. art. 6. licet de speciebus saltem eucharisticis ridiculè affirmet, quòd nutriant. Imò ait & hic: *Homo diu sustentari posset, si hostias & vinum consecratum sumeret in magnâ quantitate.* Certè narrat MICHAEL Monachus in vitâ THEODORI Studitæ §. 91. quòd hic carceri ab Iconomachis mancipatus, cum custodes fame ipsum enecare vellent, solâ Eucharistiâ, quam corporis simul & animæ alimentum dixerit, vitam protraxerit, nullumque alium cibum degustaverit. Vide Opera varia SIRMONDI T. V. in quo existant scripta THEODORI Studitæ f. 44. editionis novæ, quæ Venetiis A. 1728. cusa fuit. Explosa sanè hodiè sententia est GVITMVNDI & ALGERI, qui negârunt, Eucharistiam nutrire. Horum, ait SVAREZ, opinio antiquata jam est & ut improbabilis à scholis rejecta, quia omninò præter rationem est, experientias negare. T. II. de sacram. C. 26. Confer ALBERTINVM de sacr. Euch. L. 1. C. 19. f. 120. 121.

(h) Placet hîc appingere verba anonymi CELLOTIANI, de quo supra satis. Ita verò ille §. 9. *Sed illorum jam ineptiis respondendum, qui humano aut seculi sensu in Dei rebus putant loquendum. Dominus etenim noster non de spiritali cibo, sed de creandi*

carnali locutus est, cum diceret : Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum emittitur Matth. XV. 17. . . . Calumniati sunt heretici ex hoc sermone, Dominum Physicæ ignarum fuisse. Physica enim sic se habet: ignea virtus, cujus sedes in corde est, cibi potusque subtilem per occultos poros in diversas corporis partes vaporem distribuit, faculentum verò in secessum discernit. Et nos sæpè videmus, non modò infirmos, sed etiam sanos, quod per os intromittunt, per vomitum rejectare, & aliquos per multa tempora sine digestionem vitam duxisse. Et, licet, quod sumebant, per nauseam stomachi revomeretur, subtilior tamen succus per membra usque ad unguis diffundebatur. Ergò dicendum, aut Dominum non prædissinitè locutum, aut quamcunque aporiam corporis, quâ se subtilis cibi vapor diffundit, secessum dictum, & hoc, ne hereticus garriat. Ceterùm, quia verè credimus, non solùm animam, sed & carnem nostram hoc mysterio recreari, (totum enim hominem assumpsit, qui totum in Sabbato curavit) carni quidem caro spiritualiter conviscerata transformatur, ut & Christi substantia in nostrâ carne inveniatur, sicut & ipse nostram in suam constat assumpsisse Deitatem, ut, qui manducat ejus carnem & bibit sanguinem, vivat per animam & nunc & in æternum, & caro de terræ pulvere resuscitata vivificetur in novissimo die. Quapropter, cujus potenti virtute panis iste communis, quem cottidiè sumimus, cum sit candidus, mutatur intra nos in colorem sanguineum vel alium humorem fluidum, ipsius potentiâ caro & sanguis ejus sumpta non in noxios & superfluos humores, sed in carne verè resuscitandâ debent reservari conformata. Et quia totum, quod diximus, non ex nostro sumimus, de isto etiam, quid quidam sapiens diffinierit, dicamus. Scimus, inquit, hoc sacramentum mysterio & reverentiâ omnimodis à communibus escis secerendum, quæ naturali & necessario usu sumuntur. Ita enim omnes exposuerunt, quod Apostolus dixit 1. Cor. XI. 29. Non dijudicans corpus Christi, id est à cæteris escis non discernens, vel, cujus excellentiæ sit, inconsiderans, quod unum idemque est. Non enim excellentiam ejus reveretur, qui secessui dicit obnoxium, sicut cæteras escas. Sed tamen eodem modo, quantum

23

24

2

26

28

30

31

32

3

quantum ad comestionem & haustum pertinet, percipitur, videlicet trajiciendo per os & in ventrem mittendo. Ubi, quid Dominus de mysterio suo agere voluerit, sua scimus tantum cognitum esse voluntati. Scimus enim, consumi posse spirituali virtute, scimus & reservari posse inconsumibili perennitate, quia, quaeque ex his Christus elegerit, de suo sacramento perficit. Absit tamen, ut tantum mysterium secessui fiat obnoxium, in quo si forte ordo naturae servatur, mysterium, quod solâ fide conspicitur, humilietur. Denique addit §. 10. Diximus, Dominum non de spiritualibus escis, sed de carnalibus dixisse: Omne, quod intrat in os, & reliqua. Est homo exterior, qui corrumpitur, est & interior, qui renovatur. Patet ex hisce, quam miserè fluctuet hic anonymus, & Stercoranîsmum mox damnet, mox frigidam illi suffundat.

(i) L. V. adv. hæ. C. 2. ubi ait, sanguine Christi sanguinem nostrum augeri & consistere carnis nostrae substantiam, ut beatæ resurrectionis compos fiat.

(k) Vide GREGORII Nyss. orat. catech. 37. & CYRILLUM Alex. L. IV. in Joh. f. 362. sqq. L. X. f. 862. ut alios taceamus Non tamen omittendus est JOH. Damascenus, qui L. III. de fide orthodoxâ C. 13. ait, corpus & sanguinem Christi in nostrae tum animæ tum corporis vegetationem cedere, sed tamen nec corrumpi, nec in secessum vadere. Idem in ep. ad ZACHARIAM, Doarorum Episcopum, quam verò PETRO MANSVRIO adjudicat MICH. LEQVIEN, ait, corpus Christi Eucharisticum corrumpi, cum frangitur & comeditur, sed post sumtionem esse incorruptibile & in consistentiam & substantiam animæ nostrae transire, incorruptibile in nostram incorruptibilitatem.

(l) In comment. in Matthæum T. XI. §. 14. Vide Opera Origenis ex recentissimâ editione Parisiensi CAROLI DE LA RVE T. III. f. 494. Ridiculum est, dicere cum HVETIO ad h. l. quòd ORIGENES de accidentibus hoc saltem dicat. Ita nec reliqua effugia Transsubstantiatorum contra h. l. vel cassâ nuce digna sunt. Vide ALBERTINVM de sacr. Euch. L. II. f. 350. sqq.

(m) In

(m) In catech. myst. 5. §. 13. ubi dicitur; *hic panis non in ventrem vadit, atque in secessum ejicitur, sed in omnem tui compagem dividitur ad corporis & animæ emolumentum.* Existimat CYRILLVS, panem Eucharisticum dici eapropter *ἐπίστατον* & pro hoc nos in oratione dominicâ orare, quod & alii Patres dixere, & ex nostris MAJVS, cui contradixit WIRNSDORFIUS, defendente MAJVM ZORNIO sub nomine PEZRONII in vindiciis pro perpetuâ vet. Eccl. traditione de Christo pane *ἐπίστατον* T. I. opusc. sacr. p. 465. sqq.

(n) Hom. 9. de pœnit. *Ne quasi panem id respicias, ne quasi vinum existimes, neque enim hæc, sicut reliqui cibi, in secessum vadunt. Absit. Ne sic cogites.* Vide opera Chrysoptomi, editionis Venetæ nuperæ T. II. f. 350.

§. IX.

Nescio, num & *Stercoranifimus* illis imputari possit, qui ex Græcis in genere dixere, corpus Christi Eucharisticum esse *corruptibile*. Ita PAVLVVS Samosatenus in qu. 4. ad DIONYSIVM Alex. ex verbis: *accipite & dividite inter vos, hic calix est novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, arguit illum *corruptibilem* (a). Porro ANASTASIUS Sinaita Orthodoxum introducit, ita ex Monophysitis Gajanitæ Incorrupticolæ opponentem, si Eucharistia corrumpi possit, & corpus Christi olim fuisse corruptibile (b). Ita MICH. GLYCAS, Monachus Studita, tempore ALEXII IV. ANGELI COMNENI Imperat. & GEORGII XIPHILINI & JO. CAMATERI, Patr. CP. cum aliis statuit corpus Christi in Eucharistiâ primùm esse corruptibile, manducari & dentibus subjici, dein depositâ mox corruptione animæ substantiæ tradi (c).

D

(a) Falsa

23

24

2

26

28

30

31

32

3

- (a) Falsa ista nomina sunt. Incorrupticola est, quem refutat Pseudo-DIONYSIVS ille. Ammonium esse conjicit LEQVIEN in præf ad PETRI MANSVRII epist. ad ZACHARIAM, Doarorum Episcopum. Habetur hæc Pseudo-DIONYSII epistola Concil. T. I. col. 882. sqq. edit. Venetæ COLETI.
- (b) In ὁδηγῶ C. 23. Exstat in GRETSERI operibus T. XIV. ubi vide f. 153. Malè hic passus habet GRETSEVM. Vide f. 160.
- (c) Vide GLYCÆ ep. 84. ad Joannicum, ubi ISIDORVM Pelusiotam ita scribentem citat. Controversiam hanc in Ecclesiâ Græcâ ortam recensent NICETAS Choniates in annalibus L. III. f. 332. sqq. edit. Paris. f. 273. sqq. edit. Venetæ & ex illo LEONARDVS de perpetuâ Eccl. occid. & orient. consensione L. II. C. 13. §. 3. col. 702. 703. longè verò prolixius P. I. exerc. 26. adv. Creightonum p. 138. sqq. & ex hoc ARNAVDVS dans la perpetuité de la foy defendue L. II. Ch. 14. T. I. p. 80. sqq. Ast & addendus hîc est CLAVDIVS dans la reponse au livre de Mr. Arnauld L. III. C. 9. p. 248. sqq. Mirum, Jo. LAMIVM, qui epistolas GLYCÆ ineditas in deliciis eruditorum, quas vocat, nuper Florentiæ dedit, hanc in rem ne γὰρ quidem dicere, cùm elegans hîc ipsi occasio ubnata fuisset, totam controversiam exponendi.

§. X.

Denique & Stercoranifmi, ejusdemque crassioris reos se fecere Græculi recentiores in Conciliabulo Bethlehemitico vel Hierosolymitano A. 1672. à Dositheo Patr. Hieros. habito (a), ubi & instinctu NOINTELII, Regis Galliæ ad portam Ottomannicam Legati CYRILLVM LVCAIVM damnavit. Prodiere hujus Concilii alta GL. sub titulo: *Clypeus orthodoxæ fidei Parisiis A. 1676.* & inserta sunt postre-

postremis Conciliorum editionibus ab HARDVINO & COLETO datis (b). Hic capitulo XVII. legas, *ipsum Domini corpus & sanguinem purissimum in communicantium os ac stomachum introduci, manibus dentibusque concēdi &c.* licet deinceps addatur, accidentia saltem concēdi & dividi, corpore Christi indiviso, quæ manifestissima contradictio est. Vide & versionem Gallicam ARNALDI (c). Non opus est, ut hic de autoritate hujus Concilii & de DOSITHEO illius præside plura dicamus, non enim instituti nostri præsentis hoc opus foret. Videantur, qui controversiæ hujus ferram reciprocavere RENAUDOTIVS (d) & AYMONTIVS (e), qui & ipse hoc Concilium exhibet, sed sine quidem isto C. XVII. additamento (f).

(a) Peculiarem de hoc Concilio diff. scripsit TH. ITTIGIVS, quæ in heptade dissertationum dissertationi de hæresiarchis ævi Apostolici subjecta numero V. p. 412. sqq. habetur.

(b) Prolixiorem editionem sub nomine *Enchiridii* dedit DOSITHEVS, Buchoresti in Walachiâ A. 1690. impressam.

(c) Vide la perpetuité de la foy T. III. L. VIII. Ch. 15. f. 510.

(d) tùm dans la défense de la perpetuité, tùm T. IV. de la perpetuité L. VI. Ch. 6.

(e) Edidit hic Amstelodami A. 1718. 4. les lettres anecdotes de Cyrille Lucar & le Concile de Jerusalem tenu contre luy. Authentica Concilii acta, originalia illa, ex Bibliothecâ Regiâ Parisiensi nactus erat AYMONTIVS.

(f) Vide Conc. T. XXI. f. 1750. 1751. ed. Ven. & AYMONTIVM l. c. p. 395.

D 2

EPILO-

EPILOGVS.


Ast canendum vel tandem receptui est. Ingloriam infumere operam ais, qui de *Stercoranistis* scribat, quorum nomen vix cognitum sit, quos Hærefiologorum nullus recenset. Addis, futilibus ejusmodi dubiis indulgere haud posse, qui vel minimâ hujus mysterii veneratione tangatur. Potuisse utique Transsubstantiatoribus opponi, Eucharistiam corruptioni, digestioni esse obnoxiam. Sed ad putidam ejusmodi objectionem deveniendum non fuisse. Et ita ferè res habet. Restat utique post consecrationem panis, restat vinum. Verum sumto illo, corpus Christi, glorificatum fanè, non organicum, non præsens amplius est, quod *sacramentaliter* saltem pani unitum est in usu, quod *spiritualiter* saltem, non *Capernaiticè* fumitur, quod non *naturaliter, dimensionaliter & physicè*, sed *supernaturaliter* saltem præsens est (a). Si quid in fæces abeat, nonnisi panis est, fanè non amplius *sacramentalis*.


(a) Vide Formulam Concordiæ p. 864. 865. editionis nostræ.

ERRATA.

pag. 5. §. 2. l. 6. lege quod pro quid p. 8. l. 11. lege adversus p. 16.
§. 6. l. 4. dele debet.











✠]: [27]: [✠

aciliorum editionibus ab HARDVINO & Co.
(b). Hic capitulo XVII. legas, *ipsum Do-*
sotum sanguinem purissimum in communicantium
manibus dentibusque concēdi &c.
addatur, accidentia saltem concēdi & dividi,
si indiviso, quæ manifestissima contradictio
versionem Gallicam ARNALDI (c). Non
hic de autoritate hujus Concilii & de Dosi-
prafide plura dicamus, non enim institui-
s hoc opus foret. Videantur, qui controver-
sam reciprocavere RENAUDOTIVS (d) &
(e), qui & ipse hoc Concilium exhibet, sed
to C. XVII. additamento (f).

n de hoc Concilio diff. scripsit TH. ITTIGIVS,
opade dissertationum dissertationi de hæresi archie-
piscopi subjecta numero V. p. 412. sqq. habetur.

em editionem sub nomine *Enchiridii* dedit Dosi-
prafestri in Walachiâ A. 1690. impressam.

perpetuité de la foy T. III. L. VIII. Ch. 15. f. 510.

la défense de la perpetuité, tùm T. IV. de la per-
petuité. Ch. 6.

Amstelodami A. 1718. 4. les lettres anecdotes de
Dositheus & le Concile de Jerusalem tenu contre luy.
Concilii acta, originalia illa, ex Bibliothecâ Re-
publicæ nactus erat AYMONTIVS.

.. T. XXI. f. 1750. 1751. ed. Ven. & AYMONTIVM

D 2

EPILO-

23

24

2

26

30

31

32

